



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, 1680

21. An si iudex sit excommunicatus, validè alium excommunicet? Idem est dicendu[m] de iudice suspenso, & nominatim denunciato, vel notorio percussore Clerici. Et quid dicendum est, si iudex ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76372)

peritur tempore impletæ conditionis, & non retrotrahitur ad tempus in quo prolata est sententia. Sic Ayala. Vnde non est audiendus Hugolinus de cens. tab. 1. cap. 10. §. 6. num. 3. qui ab hac doctrina dissentit propter divisionem cap. quod ad consultationem, de sent. & re judic. ubi oppositum videtur statui, quia, ut observat Cornejo loco citato, decisio illius capitis intelligenda est de aliis sententiis judicialibus, in quibus non intervenit aliqua censura.

4. Sed ex his oriuntur aliquæ pulchræ dubitationes. Prima, an si pendente conditione, ille in quem censura lata est, forum mutet, adveniente conditione censuram nihilominus incurrat? Secunda, quid si conditione pendente iudex moriatur? Et ad primam affirmative respondeo. Ad secundam verò negativè, ex rationibus, quas adducit Cornejo ubi supra in 3. p. de cens. in gen. tract. 5. disp. 4. dub. 3. q. 3. & 5. Queritur etiam hic, an si conditio esset de futuro, & omnino impertinens, censura esset valida? Negativè respondet Cornejo loco citato cum Hugolino & Suarez, quia hoc esset abusus spiritualis potestatis; sed hæc ratio non placet Turriano ubi supra. Videtur enim probare solum talem excommunicationem illicitam esse, non autem nullam, nam iudex potest facere suum consensum dependentem à qualibet conditione: ergo talis actus cum aliis non sit jure positivo irritus habebit effectum: non apparet autem quo jure sit irritus, & ideo puto utramque sententiam probabilem esse.

RESOL. XIX.

An si pendente conditione, sub qua lata est excommunicatio, si creditor v. g. terminum absolutionis à iudice latum proroget, & postea debitor non solvat, incurrat talem censuram?

Et supponitur posse creditorem terminum prorogare.

Sed difficultas est, si debitor non solvat in secundo termino, quid sit faciendum. Ex part. 5. tract. 9. Refol. 65.

Suppono contra Hugolinum de cens. tab. 1. cap. 20. §. 6. n. 5. posse creditorem terminum prorogare, ita ut adveniente conditione, & primo termino à iudice concessio censura non obliget. Ita Navar. cap. 27. n. 14. Sylvest. verb. excommunicatio 2. num. 1. cal. 13. & alij communiter. Sed difficultas est, quid si debitor non solvat in secundo termino prorogato? & respondent ferè omnes Doctores non incurrit talem censuram, si prorogatio facta fuit à creditore, iudice ignorante, quia prorogare, aut suspendere censuram, est actus jurisdictionis, quam non habet creditor ut latè prosequitur Hugolinus loco citato, ubi plures refert, quos sequitur Sayrus lib. 1. de cens. cap. 11. num. 20.

2. Verum oppositum tenet Cornejo in 3. p. tr. 5. de cens. in gen. disp. 4. dub. 2. q. 3. non quia creditor censuram suspendat, sicut suspendit terminum, sed quod à iudice suspendi credatur eo ipso, quod creditor, ad cuius instantiam lata fuit, suspendi voluit ad termini prorogationem, & sic effectum habebit, si in secundo termino prorogato debitor non solvat, ut alia ratione motus docet Suarez disp. 3. section. 7. num. 11. & ideo dicendum utramque sententiam non carere sua probabilitate.

RESOL. XX.

Enit olim lata excommunicatio per vim, & metum, quæ essent tunc à me, an fuerit nulla?

Idem est de absolutione excommunicationis. Ex part. 5. tract. 9. Refol. 69.

Tom. V.

§. 1. Nullam fuisse, docet Cornejo in 3. p. tract. 5. de cens. in gen. disp. 2. dub. 4. Hugolinus de cens. tab. 1. cap. 2. §. 4. n. 2. Sayrus lib. 1. cap. 6. n. 9. quos citat, & sequitur novissimè doctus Iuriconsultus Antonius Cabrereros de Avendaño in tract. de metu lib. 2. cap. 31. n. 171. cuius fundamentum est quod absolutio ab excommunicatione per eandem vim & metum extorta, est invalida, ut expressè deciditur in cap. unit. de iis quæ vi, metu & causa sunt, in 6. ergo similiter est invalida excommunicatio eodem metu extorta. Confirmatur secundò, quia iura in favorabilibus sunt amplianda, & in odiosis restringenda: ergo si absolutio censetur jure irrita ratione metus, & violentiæ, multò magis id censendum est de ipsa excommunicatione; quia excommunicatio odiosa est, absolutio vero favorabilis. Tertio adstruitur ex vulgari regula à pluribus approbata, nimirum quod quando aliqua veteri jure facta sunt paria, id, quod jure novo de uno statuitur, extendi debet ad alterum; sed jus ligandi, & solvendi sunt paria: ergo quod in d. cap. unit. statutum est de absolutione, idem similiter statutum censeri debet de ipsa excommunicatione. Quartò probatur ex text. in cap. verbum Dei, de penitentia disp. 1. ubi dicitur eum, qui non habet potestatem absolvendi non habere potestatem ligandi. Ergo sicut metu coactus invalidè absolvit, ita etiam invalidè excommunicat. Hæc sententia est probabilis.

2. Sed non minùs probabilem contrariam esse existimo, nempe excommunicationem latam per vim & metum, esse validam, & ita tenet Coninch de Sacram. disp. 13. dub. 5. num. 36. Metolla tom. 1. disp. 1. cap. 3. dub. 19. n. 257. Suarez de cens. disp. 1. sect. 5. n. 2. Alterius de cens. tom. 1. lib. 3. cap. 2. disp. 9. & alij. Et ratio est, quia ea quæ metu sunt, valida sunt, nisi jure aliquo impediuntur, cum voluntas coacta voluntas sit, ex Aristotele 3. Ethic. cap. 1. & l. si mulier. §. si metu, ff. quod metu causa: ergo, &c. Deinde qui per metum fert excommunicationem, habet intentionem ligandi, vel non. Si primum, non obstat metus quominus vim ligandi habeat, siquidem intentio nunquam potest aliqua vi humana extorqueri. Si secundum, excommunicatio erit irrita, sed non ratione metus, sed defectu intentionis. Et ideo hanc sententiam novissimè Hurtado de censur. in comm. difficul. 6. num. 24. ubi sic ait. Quod autem censura feratur metu gravi, seu cadente in constantem virum, non obstat valor censuræ, quia censura sic lata nullo jure irritatur, quia in primis non jure naturali, quia quamvis eo metu fiat, est simpliciter voluntaria, deinde non jure aliquo positivo, quia nullum est, quo irritetur, etiam si absolutio à censura, quamvis favorabilis ipsis absolvendo irritetur, in cap. unico, de iis quæ vi, metu & causa sunt, in 6. quia ad hanc irritandam fuit major ratio, quam ad irritandam lationem censuræ, quia crebrius contingit absolutionem fieri metu, quam lationem censuræ, præsertim quod nullitas absolutionis metu extortæ est favor potestatis Ecclesiasticæ, quæ maxime infirmaretur, si absolutio sic extorta maneat valida, non verò si latio censuræ aliàs justa: & magis prospiciendum est favori potestatis Ecclesiæ, quam delinquentis indigni favori. Hæc Hurtado cui libenter adhareo.

RESOL. XXI.

An si iudex sit excommunicatus, validè alium excommunicet?

Idem est dicendum de iudice suspensò, & nominatim de nunciato, vel notorio percussore Clerici.

Et quid dicendum est, si iudex excommunicatus, aut suspensus est occultus? Ex part. 5. tract. 9. Refol. 50.

B

§. 1. Doct.

Sup. hoc in
tom. 6. r. 9.
Ref. 2. §. Nec
ad med. &
quoad pcc-
catum mor-
tale infr. in
Ref. 147. §. 1.
cursum ad
medium, &c.
Et quoad ju-
dicem exco-
municatum,
&c. contenti
in hoc textu
ex Ref. seq.
lege §. ult.
post medi.

§. 1. **D**octores communiter conveniunt in hoc, quod nullus Clericus, iudex, vel alius excommunicatus, vel suspensus nominatim denunciatus, aut notorius Clerici percussor, habet potestatem excommunicandi, quando & ubi est manifestus, & si teneat ferre excommunicationem talis excommunicatio erit nulla, & ratio hujus est, quia iudex talis non toleratur ab Ecclesia, & est illi penitus ablata jurisdictio. Sed controversia tota est, quando talis iudex excommunicatus, aut suspensus est occultus, multi enim asserunt talem iudicem non habere auctoritatem excommunicandi, & quod si teneat excommunicare, excommunicationem esse nullam. Ita Angel. in sum. verb. excommunicatio. Ledes. secutus gloss. 24. quasi. 1. Et ratio illorum est; quia excommunicatio, & suspensio tollit jurisdictionem excommunicandi, & suspendendi. Contraria sententia est communis aliorum, quod jurisdictio excommunicandi, vel suspendendi non tollitur nisi per manifestam sententiam. Et ita docet Bizozerus in sum. de excomm. part. 2. cap. 1. num. 5.

RESOL. XXII.

An iudex excommunicatus toleratus valide alium excommunicet? Ex part. 6. tract. 9. Resol. 135.

Sup. hoc le-
ge doctrina
Ref. seq.

§. 1. **N**egative respondet Suarez disp. 14. sect. 2. num. 15. & Layman lib. 2. tract. 5. part. 2. cap. 5. num. 7. quia in Extravagante Constantiensis nullum jus, favor, aut licentia data est ipsis excommunicatis, nisi quatenus cedit in gratiam, commodum, aut petitionem reliquorum fidelium: ergo actus jurisdictionis coactivæ, quos iudex ex officio exercet erga subditum invitum, non minus nunc inefficaces, seu irriti sunt quam olim fuerunt.

2. Sed contrariam sententiam non minus probabilem esse puto, quam videtur tenere Gutierrez in Canon. 99. lib. 1. cap. 1. n. 82. & absolute docet Coninch de Sacram. disp. 14. dub. 10. n. 91. quia cum talis quamdiu publicè agnoscitur verus iudex, Ecclesia ipsius defectum propter bonum commune supplente, valide exerceat actus jurisdictionis, valide etiam reo præcipit, ut iuste sententia pareat; nam hæc præceptio est actus talis jurisdictionis, & consequenter ille est contumax nolendo obedire, atqui quamdiu contra eum non excipitur, publicè agnoscitur verus, ac legitimus iudex. Ergo reus est contumax ei non obediendo. Secundo, quia eo modo quoad exercitium actuum judicialium jam se habet excommunicatus quicunque toleratus, sicut olim se habebat excommunicatus occultus, quia eodem planè modo uterque verè à parte rei habet impeditam jurisdictionem, & tamen ejus actus valide exercet, Ecclesia ejus defectum supplente. Atqui tali iudici olim reus tenebatur obedire, nisi contra eum legitime exciperet, ut patet ex cap. 1. de exceptionibus in 6. & exceptionem 12. de exceptionibus. Ergo simili modo tenetur etiam obedire modò tolerato etiam publicè excommunicato. Sed de tota hac materia excommunicationis fu-
torem tractatum expecta, quàm primum typis mandatum à Patre Martino Prates, Societatis Iesu, viro quidem docto, & amiceffimo.

RESOL. XXIII.

An iudex excommunicatus toleratus possit valide exercere jurisdictionem?

Et quid est dicendum, si talis sit excommunicatus denunciatus, & se transferat ad alium locum, ubi passim

ignoratur, quod sit nominatim denunciatus, vel publicus Clerici percussor, & eligatur in iudicem, an illius acta valeant in favorem publicum?
Et an collatio, seu electio facta à tali excommunicato valeat, &c. Ex part. 5. tract. 9. Resol. 109.

§. 1. **R**espondeo affirmative post Concilium Constantiensis; sed cum hoc sit verum, potest tamen quis illius iudicium declinare, opponendo excommunicationem. Nam quamvis fideles possint cum eo conversari, non tamen tenentur; unde si velit censura irritare non obedientem, censura erit nulla defectu contumaciæ & peccati in altero, cum non obediendo ei, non peccet, & ita docet Præpositus in 3. p. 9. 21. de excomm. dub. 12. n. 78. qui n. 79. censet dicta de excommunicato tolerato certo casu habere etiam locum in excommunicato vitando, si videlicet talis transferat se ad alium locum, ubi passim ignoratur quod sit nominatim denunciatus, vel publicus Clerici percussor, & eligatur in iudicem, illius acta valere in favorem publicum. Vnde dicendum collationem factam à tali excommunicato valere, similiter electionem, &c. Et ita etiam docet Lessius lib. 2. cap. 29. dub. 7. num. 62. & Suarez disp. 13. sect. 2. num. 16.

RESOL. XXIV.

An excommunicatus toleratus iudicium exercens peccet mortaliter?

Et an fecus dicendum sit de actibus aliis judicialibus, v. g. Advocati, Procuratoris, actoris, testis & similibus? Ex part. 5. tract. 9. Resol. 131.

§. 1. **A**ffirmative respondet Coninch de Sacram. disp. 14. dub. 14. n. 148. ubi sic ait: Sequitur excommunicatum etiam toleratum peccare mortaliter contra hanc prohibitionem, si extra casus, quibus ob aliorum commodum ac instantiam, aliæque rationes ad hoc necessitantur, beneficia Ecclesiastica conferat, aut eligat ad ea, aut iudicium Ecclesiasticum, aut etiam saculare, ut iudex, exerceat, quia hi actus sunt valde honorifici excommunicato, cūque supra ceteros fideles, à quibus ut putridum membrum præcisus est, extollunt, ideoque magnam indecentiam continent, & rationibus huius prohibitionis multum repugnant. Quare in his actionibus non videtur facile posse dari materia parva, quia eorum repugnantia non tam consistit, in duratione actionis, quam in dignitate, quæ statui excommunicati repugnat, quæ necessariò inest omnibus istis actibus. Secus est de actibus aliis judicialibus, v. g. Advocati, Procuratoris, actoris, & testis, & similibus, quia hi non continent illam dignitatem, nec repugnantiam ita gravem cum fine illius in bonum prohibitionis: quare de iis ferè iudicandum est, sicut de humana conversatione, & ita hanc sententiam docent etiam Layman & Lessius ubi supra.

2. Sed in tali casu iudicem excommunicatum, cuius acta valida sunt peccare tantum venialiter, docet Bartol. Ledesina de excomm. dub. 9. Cajetanus verb. excommunicatio verita. Navarr. cap. 29. n. 28. & seqq. & ratio est, quia cum Concilium non suspendat talem iudicem ab officio, nec privet usu istius potestatis, solum videtur illum actum prohibere, quatenus est communicatio quadam humana, non autem præcisè quatenus est actus jurisdictionis, & potestatis iudicialis; & hanc sententiam probabilem esse fateatur ipsimet adversarii, ut Layman lib. 2. tract. 5. part. 2. cap. 3. num. 2. & Lessius lib. 2. cap. 29. dub. 7. num. 59. qui pro hac sententia citat etiam Henriquez.

RESOL.